



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Monasterium S. Petri de Cardena, secundo lapide à Burgensi vrbe, in
Castella veteri situm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

Desiderius Longobardorum Rex cœnobium S. benedicto exædificauit in *Leno* agri Brixiani vico, filiam vero *Ansilbergam* diuino cultui virginem consecrauit, in monasterio à se constructo ad urbem Brixiam quod Christo Saluatori & S. Iulix martyri anno 761. dedicauit. Pium hoc opus approbauit Paulus Papa anno 762. vt narrat Sigonius lib. 3. de regno Italix.

CAPVT III.

Monasterium S. Petri de Cardena, secundo lapide à Burgenfi vrbe, in Castella veteri situm.

Est istud monasterium inter Hispanica omnium antiquissimum, vtpote an. Christi 540. fundatum per monachos à S. benedicto in Hispaniam missos. Fundatrix fuit *Sanctia* mater *Seueriani* Ducis prouinciæ Carthaginensis, qui fuit pater Sanctorum *Leandri*, *Isidori*, *Fulgentij* & *Florentia*. Hoc monasterium reædificandum curauit *Rodericus Diaz*, vulgo *Cid Ruy Diaz de Viuar* dux belli contra Mauros famosissimus, qui & ibidem voluit sepeliri. Tumulus eius hodieque magna cum admiratione spectatur. Obijt autem Valentix anno christi 1099. Sic tradit Prudentius Sandouallius, Prior perpetuus monasterij S. Iohannis Regalis de Naranco, & Chronogra-

540.

phus Regius, nunc Episcopus Pompelonensis, in prima parte de foundationibus monasteriorum Ordinis S. Benedicti in Hispania, ab an. Christi 540. vsque ad annum 714. quo Mauri Africani in Hispaniam irruerunt. Exstat is liber Hispanicè in folio editus Madriti anno 1601.

Monasterium S. Toribij de Lieuana, in Hispania.

Situm est hoc monasterium in montibus Sanctæ Iulianæ, primo lapide ob opido Potes nuncupato, & creditur fundatum temporibus S. Benedicti. Nomen habet à S. Toribio monacho, fundatore: qui est alius à S. Toribio Episcopo Asturicensi. Nam Toribius Episcopus vixit circa annum Christi 450. temporibus Leonis Papæ: Toribius autem monachus floruit circa annum 544. temporibus Montani Archiepiscopi Toletani. Monachi meminit Ildesonus lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, vbi de Montano agit. Vterque Toribius Fidem Palentiæ propagauit, & contra Priscillianistarum hæreses depugnauit. Vtriusque sacrum corpus hoc in monasterio adseruatur in facello subterraneo. In eodem monasterio asseruatur magna pars *Crucis Dominicæ*, & magno hominum piè peregrinantium concursu frequentatur. Ita Prudentius Sandouallius, in Parte Prima foundationum monasteriorum benedictinorum in Hispania.

Mon-